



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Compendium Totius Tractatus De S. Matrimonij Sacramento R. P. Thomæ Sanches E Soc. Iesv

Sánchez, Tomás

Coloniæ Agrippinæ, 1624

4. Hermaphroditus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41559

nullo modo est condonatio, nisi expressus animus condonandi adesset, & si animus nec condonandi, nec non condonandi adfuit, non est condonatio, *lib. 10. tota disp. 15.*

2 Hæreticus inualidè inire matrimonium cum infideli, *l. 7. disp. 71. n. 4.* At hæreticus vel apostata, validè contrahit cum fidei; est tamè peccatum mortale, exceptis locis, in quibus hæretici non denūtiati, nec notorij percussores clerici cū catholicis permixti conveniunt, ut in Germania, Gallia, Polonia, &c. propter consuetudinem toleratam ob bonum pacis, nunquam tamen licent pacta, quæ incuntur, ut quidam ex filijs nascituris fidei, alij autem hæresi adhæreant. Item sponsalia semper sunt irrita inter catholicum, & hæreticū, cum sint de re turpi & illicita, *l. 7. tota disp. 72.*

*Hermaphroditus.*

1 Hermaphroditus in quo alter sexus prævalet, potest matrimonium inire iuxta sexum prævalentem, & contrahens iuxta aliū sexum, est irritum matrimonium iure naturæ. Et quando uterque sexus est æqualis, in opinione eius est iuxta alterutrum sexum matrimonio iungi. Parochus autem nō debet interesse tali matrimonio, donec hermaphroditus coram iudice ecclesiastico protestetur, quo sexu uti velit, & se alio sexu præterquam semel electo nō versurum. Et si electo vno sexu semel, utatur alio, viduus effectus contrahendo peccabit mortaliter, & quando consultus medicis res in equilibrio

librio esset, nec iudicari possit, vter sexus praeualeat, censendum est sexum esse aequalem, *lib. 7. tota disp. 106.*

*Honestas publica.*

1. Publica honestas, est propinquitas ex sponsalibus proueniens, robur trahens ab Ecclesiae institutione, propter honestatem eius, & dirimit matrimonium solo iure Ecclesiastico, *lib. 7. disp. 61. nu. 1.*

2. Publica honestas non oritur inter infideles ex sponsalibus initis tempore infidelitatis, nec cum affinibus sponsae de futuro. Oritur tamen cum consanguineis alterius sponsi siue illegitimis, siue legitimis, *lib. 7. disp. 68. à nu. 1. vsque ad 4.*

3. Publica honestas oriebatur attento iure antiquo ex quibuscumque sponsalibus certis & absolutis, quamuis irritis, dum modò non ex defectu consensus, & durabat vsque ad 4. gradum. Hodie post Conc. Trid. non oritur ex sponsalibus irritis ex quacumque de causa. Et non extenditur, nisi tantum ad primū gradum lineae transuersae, vel rectae. Quod intelligitur etiam de orra ante Conc. Trid. *lib. 7. disp. 68. à nu. 5. vsque ad 11.*

4. Impedimentum publicae honestatis oritur ex sponsalibus veris de iure, & irritis solum defectu consensus externi, vel ex defectu alio quocumque occulto. Nisi sint ad eò clandestina, vt probari nequeant. Cessat etiam publica honestas, quando impedimentum occultum, ob quod